

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0074
	0072
	0078
	0068
63	
calvities vitae et aetatis maturitatem, extinctionem libidinis et vitiorum puerilium mortificationem, vitae praesentis et fu- turae instantis necessariam novitatem. Est enim signum ro- boris et fortitudinis, quia dicit Aristoteles de animalibus, quod inter animalia proprie viri calvi sint, et non pueri, nec mu- lieres, nec castrati, sed viri animosi. Designat enim pruden- tiam, ut patet in illo versu: Si non vis calvi fuge consortia calvi. Hunc versum quidam non intelligentes utuntur eo ad derisionem calvorum, cum tamen in eorum magnam laudem eos prudentes esse ostendat. Statim enim, ut quis in calvi consortium venit, mox perpendit calvus, an consortium illius sit honestum, utile aut delectabile, vel non. Et dum calvus considerat consortium illius non convenire, abjicit eum, fugit eum, cavet ab eo, et tales sic spreti judicant calvos esse deceptores et callidos, et versus tales componunt. Vel si quis est in consortio calvi et inhonesta agit, mox contra eum calvus consurgit, corripit et carpit, et hoc tales deceptiones nominant. Vel quia calvus, ut decet, semper sibi proximus esse studet, et partem suam meliorem facit, quia scilicet hoc proverbiu, quo dicitur maledictus, qui deteriorem facit partem suam, ut ergo sibi semper proximus sit, et faciat suam par- tem non deteriorem, conatum omnem apponit calvus; quod dum improvidi et maledicti vident, qui semper partes suas deteriores faciunt, invidient calvis, et judicant, eos esse de- ceptores, cum sint meliorum bonorum prudentes electores. Calvities pertinet etiam ad ornatum hominis, non quidem per se, sed per accidens. Multum enim calvi sunt communiter multum barbati, et multo amplius decorat barba viri faciem, quam calvities dedecorat verticem. Calvi etiam secundum Aristotelem abundant in omnibus aliis partibus corporis, in quibus pili crescere consueverunt, pilis, ut in pectore, barba, pudendis, quae omnia designant virum laboriosum, audacem, veracem. Sed quantumcumque abundet quis pilis in capite, numquam ideo judicatur vir audax vel imperterritus, sed potius ex pilorum longitudine et multitudine judicatur muliebris, effeminatus, et pavidus vel puerilis. Solet autem de calvo communiter dici in laudem, quod calvus numquam fugit de proelio, nec uxor ab eo, in quo a duplice virtute laudatur	0083 0063 0123 0023 0173 0573 1073 Ende Anfang